



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Abbati Et Fratribvs S. Prosperi Reginen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

rum memoria fore jam antiquatum, quater ad ejus dominationem Castrum nostrum pervenerit; & ideo non est opus insinuare quod luce clarius constat, nec unquam ab aliquo negari poterit, quod non fuerit de Comitatu Comitis Matildis. Sed prævalente adversus Ecclesiam Dei publica olim potestate, dominationem suam in ipso Castro Ecclesia non valuit exercere. Nunc vero, quia omnipotens Deus sic disposuit ut tempore vestro filiorum dispersiones ad finum catholicæ matris redeant, patris imperium per omnia servatur; hinc est quod unanimis uno voto omnes quærimus & diligenter petimus dominum vestrum, vestræque sanctitati tanto devotius fidelitatem facere cupimus, quanto indubitanter vos credimus spiritum Dei habere, atque ideo accepisse potestatem ut omnia in statum rectitudinis vestra sapientia reducatis; facta in præsumptoribus vindicta, & ligatis in compedibus qui contra catholicam Romanam Ecclesiam ausi sunt minus justo pugnare. Commendamus itaque misericordię vestre Castrum, Ecclesias ipsius, clerum, & omnem populum; rogantes cum omni humilitate, quatenus ad ista, quæ postulamus, mora sublata respondere dignemini. Quod si placet de latere vestro mittere cui vestra debeamus vice intendere, illius concordia sumus & esse volumus ut facta fidelitate vobis dominationem Castræ juxta veltrum mandatum assignemus; ea videlicet ratione, ut cum omni integritate tam nova quam vetera nostra jura serventur illæsa, nec aliquando imminui nobis debeant, vel in pejus aliquatenus commutari. Illud attendat sanctitas vestra, quod pro fortitudine loci multi nobiscum confederari cupiunt; sed nulli dare responsum volumus, donec à misericordia vestra nuncium recipiamus.

MARSICANEN. EPISCOPO.

Epiſt. 48.
Super cauſa
matrimonij in-
ter B. virum &
O. mulierem,
quæ prius def-
ponavit, & alia
duxit postmo-
du in uxorem.
*Cap. 2. De fon-
datione matrim. in
Terræ Cœpilar.*

Significasti nobis per literas tuas quod cùm B. vir O. mulierem prius carnaliter cognitâ despontasset, eā postmodum non cognovit, immo ipsa ad partes alias transeunte, sibi aliam copulavit, ex qua filios & filias jam suscepit. Verum quia eadem O. ad te reversa, vel virum ipsum sibi restitui postulat, vel alij dari licentiam cōtrahendi, & tu, quid super his fieri debeat, nostris quæris literis edoce-

ri; fraternitati tuae taliter respondemus; quod si dictus vir eam despontavit per verba de præsenti, ad ipsam cogendus est de jure redire. Quod si forsan in desponsatione ipsius verbis usus est de futuro; imposita utrique pœnitentia de fide mentita, mulieri eidem nubendi cui voluerit in Domino liberam tribuas facultatem. Datum Laterani VIII. Kalend. Martij.

ABBATI ET FRATRIBVS
S. Prospcri Reginen.

Officio nostro plurimū expedire dignoscitur conservationi Ecclesiæ, & maximè earum quæ juris beatæ Petri existunt, sollicita meditatione intendere; & ne jura earum diminuivaleant, vel per occupationem illicitam deperi, vigilem nos convenit curam & sollicitudinem adhibere. Hac itaque ratione inducti, & officio nostro, quo specialis monasterio vestro, quod beati Petri juris existit, in suo jure adesse tenemur attentius, provocati, omnes alienationes, seu obligationes, quas Guido quondam Abbas monasterij vestri post primum juramentum, quod de non alienando in electione sua præstitit, & etiam in schismate de possessionibus prælibati monasterij quocunque titulo fecit in præjudicium ipsius Ecclesiæ, ad exemplar felicis recordationis Alexandri, Lucij, & Cel. prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum irritas & frivolas esse decernimus, & auctoritate apostolica viribus penitus carere censemus. Datum Laterani XV. Kalend. Aprilis.

*Super hoc etiam scriptum est Consulibus
Reginen. ut possessionum prædictarum de-
tentores ad restitutionem earam tradita sibi
potestate compellant.*

ANTIOCHEN. PATRIARCHÆ.

Cum ex illo generali privilegio, quod beato Petro & per eum Ecclesiæ Romanae Dominus noster indulxit, canonica postmodum manaverint instituta continentia majores Ecclesiæ causas esse ad sedem apostolicam perferendas; ac per hoc translationes Episcoporum, sicut depositiones eorum, & sedium mutationes, ad summum apostolicæ sedis antistitem de jure pertineant, nec super his præter ejus assensum ali-

Epiſt. 49.
Ve omnes alia
nationes, iei
obligationes,
quas Guido
quondam ipsius
monasterij Ab-
bas fecerat, inti-
te sunt & inau-
gurantur.

Epiſt. 50.
Quia Apamien.
elecūtum in Tri-
politan. Eccle-
siam sine licen-
tia Domini PP.
tantulit, ipse à
confirmatione
Episcoporum à
Domino PP.
insperatus quo-
unque ab eo a-
liud statuar.
Exstat in Terræ
Collect. lib. 1.
Tit. V.